

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Politische Urkunden von 1266 bis 1332

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1886

1306 - 1307

[urn:nbn:de:bsz:31-326704](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326704)

einen der bischof unde daz cappittel unde den andern meister unde rat von Strazburg.

S aus Straßb. St. A. AA art. 43 nr. 3 or. mb. c. 3 sig. pend.

Gedruckt nach Briefbuch A fol. 198^a ibid. bei Schöpflin Als. dipl. II, 83 nr. 835; Levraut Essai s. Panc. monn. de Strasb. p. 437.

258. *Beschluß des St. Thomascapitels, die Feier des Festes von Mariä Empfängniß einzuführen. 1307 Januar 4.*

In nomine domini amen. nos Ludewicus prepositus . . Hesso . . decanus totumque capitulum ecclesie sancti Thome Argentinensis, communicato consilio et deliberacione ac diligenti tractatu prehabitis, omnium et singulorum canonicorum ecclesie nostre ad hoc accedente consensu, ob reverenciam omnipotentis dei domini nostri Jesu Christi et gloriosissime genitricis sue beate Marie semper virginis, ad devotas preces et procuracionem honorandi viri magistri Götzonis de Hagenowe concanonici nostri statuimus et ordinamus, ut festum conceptionis prememoratae dei genitricis Marie perpetuo singulis annis sexto idus decembris per nos et successores nostros in ecclesia nostra colatur et cum legenda sua propria et officio sibi congruo in vesperis matutinis missa et aliis horis canonicis sollempniter celebretur, ea sollempnitate et more, quibus apud nos et per nos festa solent per totum duplicia celebrari.¹ quam ob rem dictus magister Götzo in solutionem reddituum seu censuum quadraginta librarum denariorum Argentinensium nomine ecclesie nostre ab abbate et conventu monasterii de Böngarten ordinis Cisterciensis Argentinensis dyocesis in villis et bannis Epfiche et Westhus pro ducentis marcis argenti emptorum solvit et ponderavit predictis abbati et conventui nomine ecclesie nostre predicte et pro ipsa quindecim marcas argenti puri et legalis ponderis Argentinensis ad hoc, ut tres libre denariorum censuum predictorum annis singulis in festo predicto per portarium capituli nostri, qui pro tempore fuerit, distribuantur in coro ecclesie nostre secundum consuetudinem ipsius ecclesie presentibus tantum, et absentibus ex quacumque causa nichil, hoc modo videlicet: in prima vespera decem solidi, in matutinis viginti solidi, in missa viginti solidi et in secunda vespera decem solidi. et sic per omnia et in omnibus supradictis statuimus esse per nos et successores nostros perpetuo observandum, quod statutum sicut alia statuta ecclesie nostre sub debito juramenti a nobis prestiti promittimus observare et illud ad quoslibet successores nostros perpetuo inter alia statuta ecclesie nostre transmittimus jurandum, sicut in ecclesia nostra moris est, et fideliter observandum. insuper promittimus, ut si processu temporis aliquo casu contingeret redditus seu census quadraginta librarum predictarum ab ecclesia nostra vendicionis seu aliquo alio alienacionis titulo alienari, quod de precio exinde ecclesie nostre provenienti viginti marcas argenti ponderis Argentinensis convertemus et inpendemus legaliter in comparationem annuorum censuum seu reddituum pro ecclesia nostra predicta, ubi commodius et pro ecclesia utilius emendi

¹ Vergl. Ch. Schmidt Hist. du chap. de s. Thom. p. 122.